Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 315
Quelle:
Copyright:

domini 1460, die proxima post festum sancti Andree apostoli. Itaque 12. annis ante Autoris mortem.

II. *fol.* 328. sequitur *Lectura in Epistolam ad Romanos* pariter vasta, et pariter praemissa longa et praeclara Introductione, cujus initium est: *Diuina fauente clamentia mihi lecturo epistolam ad Romanos Egregij doctoris gentium in fide et veritate beati Pauli incumbit breuem collationem premittere. Sis salus mea vsque ad extremum terre. Is.* 49. &c. Extrema, ut dixi, male habita, et abrupta sunt.

CCXVI.

U. 161 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 107. f. currente calamo scriptus continet: I. *Lecturam* scholasticam *in D. Pauli Epistolam ad Hebraeos* hujus exordii: *Lecturus epistolam b. pauli Apostoli ad hebreos morem in precedentibus epistolis per me lectis habitum seruando, primo premittam prologum huic epistole prepositum, circa quem quoddam dubium mouebo* &c. Sistit haec *Lectura* in C. 5. Subjunguntur *Quaesita* in hanc Partem, quem morem in aliis *Codicibus* a *Nicolao de Dünkelspühl* et *Petro de Pirchenwart* observatum vidimus, et Quaesitum ultimum est: *An lex vetus conuenienter fuerit tempore Moysi data.* Itaque et haec Librarius imperfecta destituit.

II. *fol.* 96. ab alia manu sequitur Scriptum illud polemicum, quod incipit: *Jussit reuerendissima vestra paternitas ac metuendissima dominacio* &c. contra *Wiclefistas* et *Hussitas*, quod *Vol.* I. P. 1. *col.* 968. et alias saepius etiam *Vol.* II. indicatum a *Petro* nostro *de Pulka* ad Card. Legatum *Brandam Castillioneum* directum fuit.

CCXVII.

Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 112. f. charactere luculento eleganter perscriptus, olim, ut praenotatur, *Archivii Domus SS. Apostolorum Clericorum Reg.* vulgo *Theatinorum Neapoli ex dono Mich. Troysii V. I. D.* hunc praefert litera quadrata Titulum: *Incipit Tractatus Hilarii In Septem Epistolas Canonicas.* Cui *Hilariorum* hunc Tractatum tribuam, ignoro. Non certe *Pictaviensi*, aut *Arelatensi*, quorum illum *Hieronymus* adpellat *latinae eloquentiae Rhodanum*, et *latini sermonis tubam*, *Virum*que *eloquentissimum*; huic *Honoratus Massil. flumen eloquentiae, sententiarum gemmas, argentum splendentis eloquii* tribuit. Nihil horum sane reperias, si sumas in manus Nostrum. Vide, ut orditur: *Septem epistole. quas sancti patres iacobus. petrus. iohannes & iudas. ediderunt. tam mysticas quam succinctas. breues pariter et longe. Breues in uerbis. longas in sensibus. ut rarus sit qui in earum lectione non cecutiat. — Tres doctrine epistolis accidunt. increpatio. laudatio. uituperatio. Ob tres causas scripte sunt epistole. ut uitia resecarent. et uirtutes plantarent.* R. 26

&